

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 85

(C.) IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDUE TRINITATIS, OTTO DIVINA FAVENTE CLEMENTIA IMPERATOR AUGUSTUS. SI REGALIS AUT IMPERALIS MAJESTAS ABBATUM AC MONACHORUM DEO SERVIENTIUM UTILITATIBUS VEL NECESSITATIBUS PIE CONSULERE STUDERIT, ID OMNIMODIS | ad emolumentum animae suae proficere non ambigat. Idcirco comperiat omnium fidelium sanctae Dei ecclesiae nostrorumque praesentium scilicet at futurorum industria, qualiter quidam abbas nomine Rauengerus ex monasterio STABELAU videlicet et MALMUNDARIA, quae sunt constructa in honore sancti PETRI apostolorum principis, in quo superiore sanctus requiescit REMAGLUS confessor et episcopus, adiens celsitudinem mansuetudinis nostrae | postulavit a nobis quatinus secundum praedecessorum nostrorum morem, id est Sigiberti, Hilderici, Chlodouei, Dagobercti regum, qui et eorumdem monasteriorum fuere constructores, nec non et imperatorum Karoli, Hludovuici, sed et serinissimi beatae memoriae Ottonis genitoris nostri augusti imperatoris, concederemus monachis ibidem Deo militantibus electionem regularem. Quod et fecimus. Et quia monachis alterius coenobii, id est | Malmundarii, antiquorum sancita regum non suffecerant, sed eadem monasteria rescindere et sub duobus abbatibus, quod numquam antea a tempore sancti Remacii acciderat, esse laboraverant, in tantum ut nisi generali episcoporum ex diversis |provinciis confluentum synodo in Ingilenheim palatio nostro prolatis supradictorum antecessorum nostrorum praeceptis diffiniri potuerit, propter haec, inquam, ut ne qua deinceps inter eos controversia fiat, statuimus secundum mansuetudinis | nostrae edictum et omnium in eadem synodo episcoporum consultum, maxime Vuilligisi Mogontini archiepiscopi et Deoderici Metensis episcopi et Notgeri Leodicensis episcopi, ut defuncto per successionem abbate, ex utrisque in unum coenobiis confluentibus | monachis, habeant sine simulatione, sine exceptione personae, sine respectu pecuniae, secundum sancti Benedicti regulam abbatem eligendi liberrimam optionem, ea tamen preponderante ratione, Malmundriensium pace, ut quia beatus | Remachus utriusque monasterii constructor et Tungrensium antea episcopus et pastor maluit in altero eorum, id est Stabulensium, locum sepulturae sibi diligere, ipsi primam electionis obtineant vicem, si apud eos melior meritis et instructor literis inveniatur, si [autem] non illic sed Malmundarii melior reperiatur, utriusque loco praeficiendus potius quam ab externis assumptus intromittatur. Et ut haec nostrae concessionis ac confirmationis | auctoritas plenior in Dei nomine obtineat vigorem, hoc praeceptum inde conscriptum manu propria subter firmavimus anulique nostri impressione insigniri iussimus.

SIGNUM DOMNI OTTONIS INVICTISSIMI (L . M.) IMPERATORIS AUGUSTI.

HILDIBOLDUS EPISCOPUS ET CANCELLARIUS ADVICEM UILLIGISI ARCHICAPPELLANI RECOGNOVI (L . S.).

Dala II NONAS JUNII anno dominicae incarnationis DCCCCLXXX, indictione VII, anno vero regni secundi Ottonis XVIII, imperii autem XIII. Actum Aquisgrani, in Dei nomine feliciter. Amen.